



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Patricivs Ep. 17. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

euntem columba comitari visa est, & ad extremum in caelos sublimis abire. Eò per infima quæque munera charitatis tendere HERIBERTVS. Itaque pauperulæ filium ipse sacro fonte voluit mergere, alterum tollere mersum, pauperisque cœnæ eo die conviva esse, docturus nostram ætatem, parvo (si velint) opsonare etiam infulas posse. Iam monasterio construendo cum locum circumspiceret, hunc Deipara ipsa signavit, ut viderent Mariani, quæ maximè ædificia VIRGO probaret. Sub hæc cum infensus HERIBERTO S. Henr. Imp. esset, castigatus à cælo non dubitavit cum hostili animo purpuram exuere, & ad ipsos Pontificis pedes descendere, veniam osculis lacrimisque rogantibus. Iam moriturus hic heredes scripsit (adeşte testamento Pontifices) fratres suos, non quos caro sed pauper Christus germanos fecerat, quosque ille non fratres modò dicere, sed Dominos etiam est solitus. Tum demum in cælum abiit, non aberraturus, quia & Divorum choros obvios habuit, & columba illi jam olim viam monstravit. *Ex Surio.*

*Manus pauperis est Gazophylacium Christi; Da ergo homo pauperi terram, ut accipias calum: da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum: Da pauperi, ut des tibi; quia quicquid pauperi dederis, tu habebis, quod non dederis, habebit alter. S. Petr. Chryf. serm. 8.*

S. PATRICIVS EP. 17. Martij.

**P**ATRICIVS puer servitutem servit Hibernis, magno horum bono: è servitute enim dominos suos servus eripuit. Id hoc modo factum. Parvulum è Musarù sinu latrunculi in Hiberniam abduxe-

abduxerunt. Ibi suos pascere iustus est nobilis pu-  
 fio. Agnosceres sanè margaritam ad pedes porco-  
 rum abjectam. Ceterùm è scrobe, quem porci fe-  
 cerant, lytrum egerere Angelus iussit. Ergo in pa-  
 triam redux in disciplinam SS. Martini & Germa-  
 ni Antisiodorensis se dedit. Post hæc, ut Hibernos  
 Christo adjungerit, suaserunt somnia, in quibus  
 & accipere ex Hiberniâ epistolas supplices, &  
 necdum natorum Hibernorum voces plorantium  
 opem audire sibi videbatur. Euntem igitur in pro-  
 vinciam suam, infulâ Cælestinus Pont. donavit.  
 Anachoretas baculo quem, quòd ex manu IESU  
 accepisset, iussusque PATRICIO dare fuisset, ab  
 eodem, IESU baculum dixit. Ita armatus in Hi-  
 berniam venit, & æquis auribus tam diu auditus à  
 pluribus est, quoad de inferorum suppliciis dicere  
 cœpit. Hæc enim, velut fabella, risu excepta. At  
 PATRICIUS locum, ubi dicebat, scipione suo cum  
 signasset, amplum terræ hiatus aperuit, iussitque  
 non fictis vocibus inferos ipsos concionari. Tunc  
 verò inferos esse inferis creditum est, locusque is  
 Purgatorium PATRICII appellatus, qui cum om-  
 nem eam gentem in libertatem filiorum DEI af-  
 feruisset, annos natos C. XXII. ex corpore, alterâ  
 servitute, abiit. Pilei loco Superi coronam dona-  
 runt. Ex Lippeloo & Pet. de Natal.

*Propterea rectum fecit Deus hominem etiam cor-  
 pore ipso. & os homini sublime dedit, cum pronâ  
 utique spectent animantia cetera terram; ut attol-  
 lens ad sidera vultus illicò suspiret, ubi tam beatam  
 & perennem conspiciat mansionem. S. Bern. serm. de  
 SS. Mart.*

S. GER-